

cisis natæ sunt, sanctificatæ sunt per sacrificia &c. admisæ ad esum agni Paschalis, solabantur se circumcissione Majorum, ut *Juditb. c. 9.*

2. *Cur solis masculis Circumcisio sit præcepta?*

Resp. 1. Voluntas Dei hic pro lege esto. 2. Sexus muliebris est infirmior, & doloribus in partu alias expositus. 3. Nec per se habiles sunt ad circumcissionem.

3. *Quid statuendum de salute infantum, ante octavum diem sine circumcissione denatorum?*

Resp. 1. Ubi nulla lex, ibi nec legis transgressio, *Rom. 4, 15.* Pueris ante octavum diem lex non est lata. E. nec illam transgredi potuerunt. 2. Promisit Deus, fore se Deum Abrahami & seminis ejus. 3. Fuerunt fide in futurum Christum justificati, asserente Thoma, quam extraordinarie Deus in ipsis operatus est.

4. *Cur Christus circumcidi voluerit?*

Resp. 1. Ut legi exactissimam obedientiam præstaret. 2. Ut veritatem humanæ Naturæ ostenderet. 3. Ut omnem Judæis excusandi rationem præriperet. 4. Ut Sacramentorum usum suo exemplo nobis commendaret. 5. Ut se toti legi implendæ obstringeret, *Gal. 5.*

5. *Cur Deus in obscæna parte voluerit fieri circumcissionem?*

Resp. Ut ostenderet, peccatum Originale per carnalem generationem in posteros propagari, & opus esse circumcissione spirituali, *Jer. 4. & 9. Rom 2. Col. 2.*

6. *Cur Deus Circumcissionem octavo diei alligarit?*

Resp. Ut consuleretur tenellorum infantum salutem & valetudini, qui ante id tempus non multum virium habent &c. vid. acervum rationum apud Gerhardum in Commentario ad Genesim.

7. *An Circumcisio in N. T. sit abrogata?*

Affirm. Quia 1. in N. T. Deus novum fœdus pangere voluit, *Jer. 31, 31.* 2. Apostoli sub initium N. T. illam abrogarunt, *Act. 15. Gal. 5, 3.* 3. Baptismus successit in ejus locum, *Col. 2, 11.* Objic. Judæi: (1.) Circumcissionem vocari fœdus æternum, *Gen. 17.* (2.) Non futuram in regno Christi incircumcisum, *Es. 52 11.* (3.) Spiritum Dei conjungere circumcissionem cordis & carnis, *Ezech 44.* (4.) Circumcissionem esse ex Patribus, non ex Mose, *Job. 7, 22.* (5.) Fuisse nullius typum. E. nec abrogandam. (6.) Posse inconstantiam argui Deum, quod circumcissionem tam severe mandatam aboleri voluerit in N. T. Resp. 1.